

Clauserat Hippotadēs Aetnaeō carcere ventōs,  
 admonitorque operum caelō clārissimus altō  
 665 Lūcifer ortus erat: pennīs ligat ille resūptīs  
 parte ab utrāque pedēs tēlōque accingitur uncō  
 et liquidum mōtīs tālāribus āera findit.  
 Gentibus innumerīs circumque īnfrāque relictīs  
 Aethiopum populōs Cēphēaque cōnspicit arva.  
 670 Illīc inmeritam māternae pendere linguae  
 Andromedān poenās iniūstus iusserat Ammōn;  
 quam simul ad dūrās religātam bracchia cautēs  
 vīdit Abantiadēs, nisi quod levis aura capillōs  
 mōverat et tepidō mātābant lūmina flētū,  
 675 marmoreum ratus esset opus; trahit īnscius īgnēs  
 et stupet et vīsae correptus imāgine fōrmae  
 paene suās quater est oblītus in āere pennās.  
 Ut stetit, ‘Ō’ dīxit ‘nōn istīs dīgna catēnīs,  
 sed quibus inter sē cupidī iunguntur amantēs,  
 680 pande requīrentī nōmen terraeque tuumque,  
 et cūr vincla gerās.’ Prīmō silet illa nec audet  
 adpellāre virum virgō, manibusque modestōs  
 cēlāsset vultūs, sī nōn religāta fuisset;  
 lūmina, quod potuit, lacrimīs implēvit obortīs.  
 685 Saepius īstantī, sua nē dēlicta fatērī  
 nōlle vidērētur, nōmen terraeque suumque,  
 quantaque māternae fuerit fidūcia fōrmae,  
 indicat, et nōndum memorātīs omnibus unda  
 īnsonuit, veniēnsque inmēnsō bēlua pontō  
 690 īminet et lātum sub pectore possidet aequor.  
 Conclāmat virgō: genitor lūgubris et ūnā  
 māter adest, ambō miserī, sed iūstius illa,  
 nec sēcum auxilium, sed dīgnōs tempore flētūs  
 plangōremque ferunt vīctōque in corpore adhaerent,  
 695 cum sīc hospes ait: ‘Lacrimārum longa manēre  
 tempora vōs poterunt, ad opem brevis hōra ferendam est.  
 Hanc ego sī peterem Persēūs Iove nātus et illa,  
 quam clausam implēvit fēcundō Iuppiter aurō,  
 Gorgonis anguicomae Persēūs superātor et ālīs  
 700 āeriās ausus iactātīs īre per aurās,  
 praeferrer cūctīs certē gener; addere tantīs

dōtibus et meritum, faveant modo nūmina, temptō:  
 ut mea sit servāta meā virtūte, pacīscor.’  
 Accipiunt lēgem (quis enim dubitāret?) et ōrant  
 705 prōmittuntque super rēgnum dōtāle parentēs.  
 Ecce, velut nāvis praefīxō concita rōstrō  
 sulcat aquās iuvenum sūdantibus ācta lacertīs,  
 sīc fera dīmōtīs impulsū pectoris undīs;  
 tantum aberat scopulīs, quantum Baleārica tortō  
 710 funda potest plumbō mediī trāsmittere caelī,  
 cum subitō iuvenis pedibus tellūre repulsā  
 arduus in nūbēs abiit: ut in aequore summō  
 umbra virī vīsa est, vīsam fera saevit in umbram,  
 utque Iovis praepes, vacuō cum vīdit in arvō  
 715 praebentem Phoebō līventia terga dracōnem,  
 occupat āversum, neu saeva retorqueat ōra,  
 squāmigerīs avidōs fīgit cervīcibus unguēs,  
 sīc celerī missus praeceps per ināne volātū  
 terga ferae pressit dextrōque frementis in armō  
 720 Īnachidēs ferrum curvō tenuis abdidit hāmō.  
 Vulnere laesa gravī modo sē sublīmis in aurās  
 attollit, modo subdit aquīs, modo mōre ferōcis  
 versat aprī, quem turba canum circumsona terret.  
 Ille avidōs morsūs vėlōcibus effugit ālīs  
 725 quāque patet, nunc terga cavīs super obsita conchīs,  
 nunc laterum costās, nunc quā tenuissima cauda  
 dēsinit in piscem, falcātō verberat ēnse;  
 bēlua pūniceō mixtōs cum sanguine flūctūs  
 ōre vomit: maduēre gravēs adspergine pennae.  
 730 Nec bibulīs ultrā Persēūs tālāribus ausus  
 crēdere cōspexit scopulum, quī vertice summō  
 stantibus exstat aquīs, operītur ab aequore mōtō.  
 Nīxus eō rūpisque tenēns iuga prīma sinistrā  
 ter quater exēgit repetīta per ĩlia ferrum.  
 735 Lītora cum plausū clāmor superāsque deōrum  
 inplēvēre domōs: gaudent generumque salūtant  
 auxiliūque domūs servātōremque fatentur  
 Cassiopē Cēphēūsque pater; resolūta catēnīs  
 incēdit virgō, pretiumque et causa labōris.